FRANCKESCHE
STIFTUNGEN

Franckesche Stiftungen zu Halle

Lebenslauf von Jacob Ernst Leutwein.

Leutwein, Jacob Ernst

Halle (Saale), 01.07.1711

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downladed and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-210172

Visual Library

Ut de vita mea Ego JACOBUS ERNESTUS Leütwein pro more breviter exponam, Oehringae, quae non in amoenum, sed primarium Comitatus Hohenloici Oppidum, quod templo Cathedrali quondam excelluit, hodieque ex Sede Celsiss. Comitum illustre est, A. R. S. 1684. die 2. Febr. natus, et die qui B. M. V. in Fastis sacer est, et Purgationis Festum vocatur, ex Sacri fontis flumine a peccatis purgatus fui. A Parentibus vita mihi tradita est honestissimis, Patre quidem Hieronymo Philippo Leütwino, Cive ejusdem urbis, Collegiique quod a Judicio nomen habet, adscripto, Viro integro, scelerisque puro; Matre Anna Maria, Balthasaris Reuteri, Senatoris Oehringensis Filia, Foemina virtute et moribus probatissima. Primum Parentem in tenera aetate, et cum vix prima pietatis fundamen-

ta jecissem, volente Deo amisi. Vices tamen hujus in se susceperunt Venerandus Patrus M. Christian Philipp Leutwein, qui Waldenburgensi et vicinis Ecclesiis Superintendentis nomine praeest, M. Philipp Jacob Breyer, B. Parentis Sororis Filius, Illustrissimo Comiti ab Hohenlohe a Concionibus Aulicis, Sacrorum Antistes inque rebus Consistorialibus Consiliarius, nec non Dn. Philipp Martin Kiesser primarius Oehringensium t.t. Pastor, B. Parentis mei Affinis, quorum Consilio Gymnasium patrium non eo quidem animo adii, acsi in Academiis aliquando literis operam dare vellem, quae dignitas Fratri natu majori reservata erat, sed ut aliqua saltem fundamenta in literis, majora in pietate acquirerem, ut honesti aliquando Civis nomine Domui Familiaeque eo melius praeesse possem. Fratre vero, qui Studiis erat addictus, cum annum iam et dimidium in Opificio, quod Vietorium dicitur, addiscendo fuissem occupatus, defun-

cto, Optima et honestissima Mater, quae
Filium Deo ad Ministerium Ecclesiae publi-
cum consecraverat et supra laudati Cognati
mihi ut Opificium cum Theologiae Studio
commutarem persuaserunt. Publicis igitur
me Praeceptoribus de novo commendarunt,
quorum Scholas rursus cum publicas tum pri-
vatas majori cum diligentia frequentavi, iis-
demque industriam meam approbavi, in quibus
nominatim pie grateque mihi commemorandi
sunt M. Daner, Zimmermann et Lentius
Gymnasii patrii moderatores optime de me
meriti. Haesi igitur ibidem ad annum usque
seculi hujus quartum, nescius adhuc unde
in Academiis aliquando commode victurus
essem. Commodum autem et Deo haud
dubie providente evenit, ut ab illustrissi-
mis S. R. I. Comitibus ab Hohenlohe et
Gleichen, Heroibus juvandis ornandisque lite-
ris natis, ut et a D. Magno Fezero, Reip.
Noriberg. Consiliario splendidissimo, ex cujus
illustri Familia Avia mea paterna oriun-

da erat, praeter expectationem luculento beneficio mactarer! Eo igitur studiorum subsidio instructus, cum Altdorffium (ubi, qui beneficio a Norib. fruuntur, operam literis navare sunt adstricti:) petere non possem, cum Musae ibi, ob motus bellicos tum temporis eo in tractu tristissimos iisdemque infensos, silerent, Collatores me Vitembergam ire jusserunt. Cum vero per biennium studiis ibidem operam dedissem, beneficium ab Illustrissimis Comitibus collatum, ob supplicantium Civium numerum cessaret, Academia relicta, Bergeri Philos. Adj. commendatione nobili soboli Generosissimi Braunii in illa Anhaltinae regionis parte, quae Principi Cöthenensi paret, rector fui appositus; sed anno elapso Vitembergam rursus ad studia me contuli. Cum tandem post semestre et beneficii Noriberg. tempus praeterlapsum interea esset, omnibusque subsidiis destitutus essem, Patronorum consilio

in Patriam sum profectus, ibique statim post adventum D. D. Spenerii Fratris Beutingensis Ecclesiae, quae uno altero-ve lapide ab urbe distat, Ministri aegri et dein defuncti in concionando vices Consistorialium jussu, donec alius succederet, gessi, et cum deinceps Membrum in Ministerio oppidano per annum fere desideraretur, cum Con-Rectore ejusdem in concionando vices supplere benevole jussus fui. Sed cum animus deinceps majores in iis quae ad officium Eccles. requirunt, progressus facere flagraret, Illustrissimi Comites pingui cursus et luculento studiorum subsidio ornatum Jenam miserunt, ubi per annum studiorum causa commoratus fui. Tandem et hanc Fridericianam divino nutu petii, ubi mensa ordinaria in Orphan. frui summe Reverendus Dn. Prof. Franckius benevole concessit, posteaque in numerum Praeceptorum cooptatus fui. Pro his et aliis innumeris beneficiis Deo Trinuni sit laus, honor et gloria in omnia secula, Amen. Cal. Jul. CIϽ IϽCCXI.